FRANCKESCHE
STIFTUNGEN

# Franckesche Stiftungen zu Halle

# Joh. Henrici Hottingeri Henr. ex Henr. Nep. S. Theologiæ & Antiquitat. Jud. Acad. Marburg. Prof. Ord. Typus Doctrinæ Christianæ In Usum Institutionis ...

**Hottinger, Johann Heinrich**

**Francofurti ad Moenum, Anno MDCCXIV.**

**VD18 12542598**

## Caput IV. De Mysterio Trinitatis.

**Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-216057

Visual Library

redemptione, Joh. XVII, 1. quâ ſanctitas, juſtitia, miſericordia, omnipotentia, ſapientia, veritas in ſua claritate fidelium oculis cernuntur. Cognoſcitur etiam ex attenta attributorum divinorum penſitatione. Exod. XXXIII, 18. XXXIV, 6. 7.

# CAPUT IV. De MYSTERIO TRINITATIS.

Σύνοψις.

*Non ſufficit noſſe quod ſit, & quid ſit Deus, ſed inſuper cognoſcendum, quis ſit.* §. I.

*Hunc ignorant Gentiles.* §. II.

*Judæi hodierni, Muhammedani, plures Pſeudo-chriſtiani.* §. III.

*Cognoſcendus nonniſi ex V. & N. Teſtamento.* §. IV.

*Eſtque Pater, Filius, & Spiritus S.* §. V.

*In utroque quidem Teſtamento hoc Myſterium traditur, non eâdem tamen claritate.* §. VI.

*Et V. Teſtamentum tum plures perſonas divinas,* §. VII.

*Tum ſpeciatim tres docet.* §. VIII.
*Novum verò clariſſimè verum Deum, Patrem, Filium & Spiritum S. dicit.* §. IX.
*Non tamen tres Dii ſed unus Deus.* §. X.
*Tres tamen perſonæ proprietatibus perſonalibus, ordine ſubſiſtendi & operandi à ſe invicem diſtinctæ.* §. XI.
*Prima eſt Pater.* §. XII.
*Verus Deus, qui cuncta in mundo & Eccleſia inchoat.* §. XIII.
*Secunda eſt Filius.* §. XIV.
*Itidem verus Deus* (a) *ob* ὁμοȣσίαν, XV.
(b) *Nomina.* §. XVI.
(c) *Attributa.* §. XVII.
(d) *Opera.* §. XVIII.
(e) *Honorem divinum* §. XIX.
*Filius ex eſſentia Patris genitus.* §. XX.
*Ab æterno.* §. XXI.
*Tertia verò Spiritus S.* §. XXII.
*Qui ex Patre & Filio procedit* XXIII.
*Ab utroque tamen diſtincta perſona.* §. XXIV.
*Et quidem divina.* §. XXV.

§. I.

HActenus oſtendimus, *quod Deus ſit*, & *quid ſit*. Nunc porrò oſtendendum, *quis ſit*. Prius commune nobis cum pluribus infidelibus & Pſeudo-Chriſtianis. Poſterius demum nos genuinos Numinis profeſſores conſtituit.

II. No-

II. Notitia veri Dei deſtitutæ vivebant Gentes ſub V. T. quæ hinc ἄθεοι in mundo, Eph. II, 12. ignorantes verum *Deum*, ſerviverunt τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς, Gal. IV, 8. τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα *creaturæ præterito creatore*, Rom. I, 25. Quando enim creaturam ſingulariter excellere, hominibus prodeſſe animadvertebant, illam Deum faciebant. Primò cœlum & corpora cœleſtia, tum ſublunaria, illis maximè affinia, poſteà homines, etiam beſtias, plantas &c. *ſtulti facti* deorum inſtar habuerunt Deut. IV, 16-21. Rom. I, 22. 23.

III. Et quamvis lux Evangelii craſſiſſimas has tenebras paſſim diſpulit, excœcavit tamen Princeps tenebrarum plurium animos, ut verum Deum non cognoſcerent, uti ſunt Judæi hodierni, Muhammedani, Pſeudo-Chriſtiani veteres & moderni, nam quia negant Filium, ne Patrem quidem habent 1. Joh. II, 23.

IV. Verus Deus ille eſt, qui in utroque codice V. & N. Teſtamenti revelatur. Verbum enim hoc verum, divinum ſuperius à nobis demonſtratum eſt. Et quæ de Deo docet, talia ſunt, ut attentum & devotum Lectorem fortiter convincant. Præterquam enim, quod confirmet notiones noſtras de vero Deo, inſuper narrat opera, creationem, conſervationem, gubernationem, benficia, judicia, apparitiones ejus, quæ cuncta, maximè conjuncta, clamant



Franckesche Stiftungen zu Halle

non alium Deum eſſe, quám Abrahami, Iſaaci & Jacobi.

V. Eſtq; PATER, FILIUS & SPIRITUS S. Myſterium ſummum, devenerandum, non curioſè perſcrutandum. Neceſſarium quidem eſt de Myſterii veritate ex ſacris animum certum reddere, ſed non licet illud ad rationem tanquam regulam examinare (1.) Eſt enim μυςήριον (qs. מוסתר abſconditum) Coloſſ. II, 2. ex revelatione cœleſti tantum cognitum, Matth. XVI, 17. adeóque extra illam de eo non ſapiendum. 1. Cor. II, 7. 9. 10. (2.) Dogmatis hujus non habemus ideas innatas, nec de rebus extra nos deſumptas. Ut adeò malè agant ii, qui Trinitatis articulum ex natura probant, aut illuſtrant. Hoſtes hâc ratione in infidelitate confirmantur potiùs, quàm ad ſanctam fidem convertuntur. Hoc quidem beneficio rationis facilè aſſequimur ea in Deo eſſe, quæ nos ignoramus, & ad quæ ſtupemus: Hoc ipſum verò certò à Deo revelatum, firmiter credendum eſſe.

VI. Scriptura autem utriusque Teſtamenti tradit eſſentiam divinam tribus Perſonis communem eſſe, non quidem eâdem claritate, obſcurius ſub V. clarius ſub N. T. juxta diverſam œconomiam.

VII. Quod ad argumenta ex V. T. hanc Methodum ſervabimus, ut primò demonſtraturi plures perſonas divinas, dein ſpeciatim tres &c. Pluralitas perſonarum conſtat א. ex locis, in

quibus

quibus Deus de ſe ut pluribus loquitur, quod non de eſſentia intelligi poteſt, E. de Perſonis, Gen. I, 24. *Et dixit Deus* נעשה אדם בצלמנו כדמותנו *faciamus hominem in imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram.* Neque enim more recentiorum linguarum de uno aliquo honoris causâ pluralis effertur. Et ſolus Deus factor noſter, cujus imaginem geſtamus Gen. III, 22. cf. XI, 7. XX, 13. XLVIII, 15. Eſa. VI, 8. XLI, 21. 22. XLV, 16. Alluſione ad hunc locum notanter עשים *factores, creatores*, Job. XXXV, 10. Eccleſ. XII, 1. ב. Perſona divina à perſona divina diſtinguitur. Gen. XIX, 24. *JEHOVA pluere fecit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à JEHOVA ex cœlo* Pſ. XLV, 8. *dixit Jehova ad Dominum meum.* David Rex inter homines non agnoſcebat Dominum. E. Dominus Davidis perſona divina. conf. Hoſ. I, 7. ג. Nomen *Jehova* eſt creaturis incommunicabile: Attribuitur tamen plus uni perſonæ. Hoſ. I, 7. *Salvabo eos per Jehovam Deum ipſorum.* Is, qui loquitur Jehova v. 4. & is, per quem Jehova ſalvaturus conf. Jerem. XXIII, 5. 6.

VIII. Trinitas verò א. Ex *Creatione.* Creator eſt Pater: Creator eſt Filius ſive ſermo Pſ. XXXIII, 6. Creator eſt Spiritus Sanctus. Gen. I, 2. Pſ. XXXIII, 6. ב. *Hiſtoria Iſraëlitarum Ægypto egreſſorum & per deſertum vagantium.*

Præ-

Præterquàm quòd ſine controverſia hoc beneficium patri attribuitur, adſcribitur quoque Filio & Spiritui S. *Illi* Exod. III, nam qui Moſi apparuit, verus Deus v. 4-16. non tamen Pater, nam eſt מלאך *legatus* v. 2. quod nomen Filio frequentiſſimè attribuitur. Quomodo quoq; accipitur Act. VII, 31. 32. 33. Confer præterea Exod. XIX, XX. cum Act. VII, 38. Nec non Exod. XXIII, 20-24. ubi Perſona, cui perfectiones divinæ attribuuntur, diſtiuguitur à Jehova mittente, Patre. *Huic* Eſa. LXIII, 10. 11. *Spiritus Sanctitatis* diſtinctus à Jehova & Angelo faciei ejus proponitur v. 7. 8. 9. ג. Benedictione Sacerdotali Num. VI, 24-26. Ter repetitur Nomen *Jehova*: Jam olim Jacobus benedictionem à pluribus perſonis divinis expetebat, Gen. XLVIII, 15. 16. Tres eſſe ſolennis hæc benedictio clariùs indicat. Ad quod Myſterium Bechai alludit comment. ad h. l. *Nomina Dei benedicti ſunt tres* חיילים *Virtutes, quarum una alteri ſimilis idemque habet nomen & ſingulæ ſunt ſignatæ literis* יהוה. Sunt & alia Veterum Rabbinorum de Trinitate teſtimonia, quæ circumferuntur, circa quæ tamen circumſpectione opus ד. *Viſione Eſajana* Cap. VI, plures apparebant Perſonæ v. 8. quæ tres v. 3. Pater, Filius Joh. XII, 41. & Spiritus Sanctus. Act. XXVIII, 25. ה. Aut eundem Deum nobiscum fideles V. Teſtamenti coluerunt, aut

non

non; poſterius ſcripturæ adverſatur, E. prius aſſerendum.

IX. Quandoquidem cognitio Jehovæ in diebus Meſſiæ major eſſe debebat, etiam Myſterium hoc clarius in ſcriptis N. T. traditur. (1.) Veluti in *Baptiſmo noſtro* Matth. XXVIII, 19. Baptizari in nomen alicujus in cauſa Religionis in hominem non cadit. 1. Cor. I, 13. Atqui nos baptizandi in nomen Patris, Filii, & Spiritûs S. (2.) In *Baptiſmo Chriſti* Matth. III, 16. 17. Pater ex cœlo loquebatur; Spiritus S. ſub ſpecie columbæ apparebat: Filius non ut nudus homo, ſed ut Θεάνθρωπος reconcilians nos Patri conſideratur. (3.) In *Benedictione* 2. Cor. XIII, 13. quæ ſuper Corinthios à Filio, Patre, & Spiritu S. invocatur. At is Deus, à quo Benedictio imploratur, conf. Num. VI, 26-28. Apoc. I, 4. 5. (4.) Joh. XIV, 12-18. Ubi mentio fit Patris, Filii, in quem credendum & in cujus nomine omnes preces fuſæ exaudiuntur, & Spiritus S. tanquam Spiritus Veritatis, cujus præſentia non minus ac Filii grata. Hæc prædicata perſonis divinis non niſi competunt. (5.) 1. Joh. V, 7. Clariſſimè tres Perſonæ divinæ, quarum tamen eſſentia unica, memorantur. Fatendum eſt locum hunc à multis codicibus MSS. abeſſe, ſed aſtu & malitiâ hoſtium Trinitatis (α) Nam in aliis codicibus exſtat. (β) Nonnulli Patres eum recenſent. (γ) Nexus hæc aut ſimilia verba poſcit (δ) Idem quod alibi in Sacris

exſtat

exſtat (6.) Patri, Filio, & Spiritui S. Eſſentia, Nomina, Attributa, opera divina attribuuntur, ſicuti κατὰ μέρος inferius probabitur.

X. Una eademq; Eſſentia omnibus tribus perſonis eſt. Unde non tres Dii ſed εἷς Θεὸς. & quod ab Eſſentia fluit, non minus Filii & Spiritus S. quàm Patris. Hinc quoque dictio Joh. XIV. 9. *Qui me vidit, vidit Patrem*, & ſimiles.

XI. Neutiquam tamen Pater non alius à Filio aut Spiritu S. ſunt enim *tres* teſtes 1. Joh. V, 7. Alius Pater, Alius Filius, Alius Paracletus, Joh. XIV, 16. Differentia eſt (א.) *quoad Proprietates Perſonales*. Patris eſt ἀγεννησία, Filii γέννησις, Spiritûs S. ἐκπόρευσις, hæ inter ſe invicem permutari nequeunt. (ב.) Hinc *quoad ordinem ſubſiſtendi*: Pater prima, Filius ſecunda, Spiritus S. tertia perſona, qui ordo obſervatur Matth. XXVIII, 19. 1. Joh. V, 7. Alibi non, quia non ordo dignitatis (ג.) & hinc quoad *ordinem operandi* ſive *Oeconomiam*. Primæ Perſonæ initium, ſecundæ continuatio, tertiæ conſummatio in operibus naturæ Gen. I, 1. 1. Joh. I, 3. Gen. I, 2. gratiæ Eph. I, 4. 5. 6. 14. adſcribitur. Hæc in genere. In poſterum ſigillatim de unaquâque Perſona dicendum eſt.

XII. *Pater* eſt prima perſona Deitatis à nullo exiſtens, quæ Filium eſſentialem ſui imaginem ab æterno genuit. *Patris* nomen, quod ſub varia σχέσει habet, heic datur, quatenus Filium ab æterno genuit Pſ. II, 7. & eo reſpectu Chriſti Pater

Pater ἴδιος eſt Joh. V, 18. X, 37. Ipſe ut Genitor ἄναρχος à veteribus dictus.

XIII. Patrem verum Deum eſſe nemo in dubium vocat, qui Deum eſſe credit. Scriptura quoq; ipſum non ſolùm Deum vocat & divina quæque aſſignat, ſed contradiſtinctè ad reliquas Perſonas Θεὸν appellat 2. Corinth. V, 19. qui cuncta in mundo & Eccleſia inchoat, dirigit Joh. V, 19. 24. 1. Cor. VIII, 6.

XIV. *Filius* eſt ſecunda divinitatis perſona ex eſſentia Patris ab æterno genita. Primò probabimus Filium eſſe verum Deum; tum talem eſſe generatione ex eſſentia Patris & quidem ab æterno

XV. Divinitas Filii patet. (1.) ex ὁμουσίᾳ cum Patre & Spiritu Sancto ceu cum quibus ἕν *Unum* 1. Joh. V, 7. non tantùm voluntate ſed & eſſentiâ, nam aliàs Judæi Chriſtum blaſphemiæ non accuſaſſent Joh. X, 30. 33. ſeipſum ἴσον τῷ Θεῷ *æqualem Deo* fecit v. 18. quod, quando de ipſo affirmant Judæi, non negat Chriſtus ſed probat ſpeciatim v. 26. Patrem ſibi dediſſe, ut haberet vitam ἐν ἑαυτῷ uti ipſe habet. Phil. II, 6. Μορφὴ Θεοῦ, quemadmodum ex μορφῇ δούλου conſtat, eſt natura divina; in hac Chriſtus exiſtebat, antequàm homo factus, & ideò non rapinam ducere debebat τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Confer. Joh. V, 18. 19. &c. Col. II, 9. *In Chriſto omnis plenitudo Deitatis corporaliter habitat*, alluſione

ſione clara ad inhabitationem nubis, ſymboli præſentiæ divinæ in tabernaculo. Qui verò eſſentiam divinam habet, ille verus Deus. Huc quoq; refertur צמח יהוה *Germen Jehovæ*, quod cum Jehova conjunctiſſimum & ex illo ortum, Eſai IV, 2.

XVI. Patet dein (2.) *ex nominibus divinis.* Hæc Chriſto tribuuntur, tum quæ Deo propria, tum quæ etiam exiliori ſenſu creaturis competunt, ſed ipſi ἐν δυνάμει adſcribuntur. Sunt autem יהוה Num. XXI, 6. 7. qui Chriſtus 1. Cor. X, 9. Exod. III, 2. 4. Jer. XXIII, 5. 6. אלהים Hoſ. I, 7. ארני Pſ. CX, 1. Matth. XXII, 43. 44. אל Jeſ. VII, 13. IX, 6. Θεὸς 1. Tim. III, 16. & ne exiliori ſenſu ita dictus habeatur, ſubinde adduntur Epitheta verè divina Rom. IX, 5. Chriſtus ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς, quomodo Rabbini verum Deum deſignaturi exprimunt ברוך השם *Benedictus Deus*, Tit. II, 13. Μέγας Θεὸς, *Magnus Deus*. Conf. Exod. XVIII, 11. 1. Joh. V, 20. ὁ ἀληθινὸς Θεὸς, *Verus Deus*, non λεγόμενος aliquis. Κύριος & quidē εἷς κύριος *Unus Dominus*, per quem omnia & nos per illum 1. Cor. VIII, 6. In oppoſitione ad בעלים κυρίους πολλούς. Tandem Λόγος *Sermo*, quomodo Johannes Chriſtum inſignit præeunte Scriptura V. T. Pſ. XXXIII, 6. & Paraphraſi Chaldaicâ veluti Jeſ. XLV, 17. Λόγος exiſtit, quam primum mens: eſt porrò cum mente ejuſdem naturæ: Λόγος ἐνδιάθετος fit etiam προφορικὸς, quâ itaque appellatione indicatur Æterni-

ternitas & Divinitas Chriſti, quique, quod in ſinu Patris audivit, aliis enarrat.

XVII. Conſtat porrò (3.) Ex *Attributis*, quæ ab eſſentia non differunt. Eſt quippe *independens* Apoc. I, 8. *Simpliciſſimus* Hebr. IX, 14. Rom. I, 4. *Æternus* Eſai. IX, 6. Hebr. VII, 3. Joh. VIII, 58. *Omnipræſens* Matth. XVIII, 20. XXVIII, 19. Joh. III, 13. *Immutabilis* Pſ. CII, 27. 28. Conf. Hebr. I, 12. *Omniſcius* Joh. XXI, 17. Apoc. II, 23. Matth. IX, 4. *Sapientiſſimus* Proverb. IX, 1. *Potentiſſimus* Deus fortis Eſai. IX, 6. qui fortem ſatanam vicit Matth. XII, 29. *Poteſtate omni pollens* Matth. XXVIII, 18. *Glorioſiſſimus* 1. Cor. II, 8.

XVIII. Conſtat (4.) præterea ex operibus divinis, quæ præſupponunt eſſentiam divinam. Sunt autem *Creatio* Joh. I, 3. Pſ. XXXIII, 6. Coloſſ. I, 15, 16. *Conſervatio & Gubernatio*, Hebr. I, 3. Joh. V, 17. 18. miracula plurima patravit Joh. XX, 30. *Redemptio* Tit. II, 13. *magnus Deus & Salvator*.

XIX. Tandem (5.) conſtat ex honore divino, qui in non Deum collatus maximum ſcelus, Jeſ. XLII, 8. At Chriſto confertur Matth. XXVIII. 19. 2. Cor. XIII, 13. Phil. II, 10. 11. volente Patre Joh. VIII, 50. Pſ. II, 10. Hebr. I, 6.

XX. Hæc liquidò probant Jeſum verum & æternum Deum eſſe. Non tamen alius Deus à Patre Joh. X, 30. 1. Joh. V, 7. A Patre eſt,

quod *vitam in ſe ipſo* habeat, h. e. Verus Deus ſit Joh. V, 26. Hæc communicatio in ſacris *Generatio* dicitur; non quod humanæ in omnibus ſimilis ſit, (hinc rectè à veteribus ἀκαταλήπτως, ἀχρόνως, ἀχωρίστως καὶ ἀπαθῶς factá dicitur, ut removeantur imperfectiones, quæ in noſtra generatione) ſed in uno alterove. Filius ejuſdem cum parentibus naturæ naſcitur ex voluntate progenitorum; Voluit Pater ab æterno ut Filius eandem eſſentiam haberet. Hinc dicitur ſæpiſſimè *Filius* Dei non jure creationis aut adoptionis, Matth. XXVI, 63. XVI, 16. XIV, 33. Nihil aliàs peculiare, quod ob circumſtantias tamen indigitatur. Nec *Filius* tantùm, ſed ἴδιος, *proprius* Rom. VIII, 32. qualem non habet & ideò ἴσος Θεῷ, *æqualis Deo* Patri eſt, Joh. V, 18. יחיד Μονογενὴς, *Unigenitus* Zach. XII, 10. Joh. III, 16. etiam πρωτότοκος πάσης κτίσεως, non creatus ſed *genitus*, antequam creaturæ erant, imò per illum creatæ ſunt Col. I, 15. Præterea etiam phraſes, quæ de generatione propriè valent, hac in materia adhibentur, uti ילד קנה חלל. Pſ. II, 7. Pater ad filium ait, *tu es filius meus, ego hodiè te genui.* Filius ergò eſt per generationem. Prov. VIII, 22. *Jehova* קנני *acquiſivit me* generatione Gen. IV, 1. *Principium viæ ſuæ* quam primum Pater, ego eram & v. 24. cum nondum eſſent abyſſi חוללתי *genita ſum*, v. 24. *ante colles* חוללתי

חוללתי *genita ſum.* Hæc verò Sapientia eſt Jeſus Chriſtus.

XXI. Hinc fluit Generationem hanc ab æterno eſſe. Patet porrò ex Mich. V, 2. Meſſiæ duplex ortus, unus ex Bethlehem, isque futurus: alter ab *ante, à diebus ſeculi* dicitur. Ille reſpicit aſſumtionem naturæ humanæ; Hic verò æternum egreſſum ſive generationem ex Patre. Hebr. I, 3. *Effulgeſcentia Gloriæ*: Sub ſimilitudine fulgoris non ſolùm eadem inſeparabilis eſſentia Patris & Filii, ſed etiam coæterna exprimitur. Quamprimum enim lux, etiam Splendor eſt. Generatio ab æterno facta in tempore veluti per reſurrectionem declarata eſt Rom. I, 4.

XXII. *Spiritus Sanctus* eſt tertia perſona Divinitatis à Patre & Filio procedens. *Spiritus* nomen, quod variè uſurpatur, habet non tàm ob naturam ſpiritualem, quam proprietatem, quâ à Patre & Filio diſtinguitur reſpiciendo proceſſum, qui ineffabilis exſpirationi accomparatur Pſ. XXXIII, 6. Job. XXXIII, 4. & operationis modum Act. II, 2. Joh. III, 8. XX, 22.

XXIII. Dicitur *Spiritus Dei* Geneſ. I, 2. Matth. III, 16. *Patris* Matth. X, 20. Rom. VIII, 11. *Filii* Gal. IV, 6. quia ex utroque procedit, ſive Patris Filiique voluntas eſt, ut Spiritus ejusdem ſecum eſſentiæ exiſtat. Unde etiam à Filio datur Joh. XX, 22. & mittitur XV, 26. XVI, 7. 14. 15.

XXIV. *Eſtque Perſona & quidem diſtincta a Patre & Filio.* Perſonam eſſe inde conſtat, quod cuncta, quæ in perſonam cadunt, cadant quoq; in Spiritum S. uti *ſubſiſtere, operari, intelligere, velle,* 1. Cor. XII, 11. II, 10. 11. Joh. XIV, 26. XV, 26. XVI, 13. *dein* in claſſe & numero Perſonarum ponitur, Matth. XXVIII, 19. 1. Joh. v. 7. *Inſuper* invocatur 2. Cor. XIII, 13. in nomine ejus baptiſmus adminiſtratur Matth. XXVIII, 19. peccatis offenditur Matth. XII, 31. 32. triſtitiâ afficitur Eph. IV, 30. quæ in perſonam tantùm quadrant. Aliquando quidem nominatur *Spiritus* & intelligitur effectus ſive donum ejus, ſic tamen ut alibi clariſſimè non donum, ſed doni Auctor dicatur 1. Cor. XII, 11. conf. ℣. 4. 5. 6. Eſtque perſona à Patre & Filio diſtincta, Matth. XXVIII, 19. 2. Cor. XIII, 13. 1. Joh. V, 7. Quemadmodum enim Filius alius à Patre, ita etiam Spiritus S. Præterea Joh. XIV, 16. *Ego rogabo Patrem* καὶ ἄλλον παράκλητον *& ALIUM Paracletum dabit vobis.* & v. 26. *& paracletus Spiritus S. quem mittit Pater in meo nomine, is vos omnia docebit* cap. XV, 26. *quando venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a patre.* Conf. cap. XVI, 7. 13. Alius eſt pater, qui mittit: Alius eſt filius, qui quoque mittit, & in cujus nomine mittitur; Alius Spiritus S. qui datur, mittitur.

XXV. Eſt adeòque perſona divina ſive Deus, cujus divinitas probatur (1.) ex ὁμοουσίᾳ cum

Patre & Filio, 1. Joh. V, 7. *Tres ſunt, qui in cœlo teſtantur, Pater, Sermo & Spiritus S.* καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι, (2.) ex nominibus divinis, qualia ex Hebraicis יהוה *Jehova* & אדני *Adonai*, quæ ter ſancto Deo dantur Eſa. VI, 1. 3. atque ita etiam Spiritui S. conf. Act. XXVIII, 25. Necnon אלהים 2. Sam. XXIII, 2. 3. conf. 2. Pet. I, 21. ex Græcis verò Θεὸς Act. V, 4. *non mentitus es hominibus* ἀλλὰ τῷ Θεῷ *ſed Deo* qui τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, verſ. 3. & 9. & κύριος ἐν ἐμφάσει 2. Cor. III, 17. (3.) ex attributis. Eſt enim *æternus*, ceu qui exiſtit ante mundum Gen. I, 2. *Immenſus* Pſ. CXXXIX, 7. nullibi enim homo ſe conferre poteſt, in quo non רוח *ſpiritus* per quem commodè intelligitur *Spiritus S. Immutabilis* quippe ejus dona talia Rom. XI, 29. *Omniſcius* 1. Cor. II, 10. *Spiritus omnia* ἐρευνᾷ, *etiam profunditates Dei.* Futura quæque prædicebantur, ſuggerebantur à Spiritu S. 2. Petr. I, 21. *Sapiens* ceu ſapientiæ Auctor, Jeſ. XI, 2. *Liber* in donis ſpiritualibus erogandis Joh. III, 8. *Potentiſſimus, omnia hæc* (ſunt autem opera Divina) *operatur unus & idem ſpiritus, diſtribuens propria unicuique, ſicut vult,* 1. Cor. XII, 11. (4.) ex actionibus divinis, Creatione, Gen. I, 2. Pſ. XXXIII, 6. Gubernatione etiam immediatâ Matth. XII, 24. cura Eccleſiæ Actor. XX, 28. (5.) ex Honore Divino; In ejus nomen baptizamur Matth. XXVIII, 19. Conf. 1. Cor. I, 13. Ab illo benedictio ſuper Eccleſiam invo-